

gloria vestri concupiscit. Sed hæc non dabitur carni-
 ane iudicium factum, hoc enim tempore (ut dicitur
 in Apocalypsi cap. 6.) dantur singule stolæ : quia solis
 animabus æternæ beatitudinis gloria confertur, & ex-
 pectant donec compleatur numerus fratrum, hoc est,
 donec compleatur numerus electorum in æterna
 felicitate locandas : quo impleto, erit iudicium, &
 generalis resurrectio : & tunc dabuntur cuilibet binæ
 stolæ, hoc est, animæ & corporis gloria. Sic enim per
 Esaiam Prophetam, cap. 15. dicitur. *Gaudium & lætitia
 erit in ea.* Hanc igitur duplicem stolam David sperans, ait.
Auditui meo dabis gaudium. Sed quod ait : *& exultabunt
 ossa humiliata :* de animæ virtutibus intelligendum est :
 quoniam virtutes sunt animæ robur, quemadmodum ossa,
 corporis. Hæc sunt ossa, de quibus idem Psaltes alibi
 ait. (*Psal. 137.*) *Omnia ossa mea dicent, quis similis tui
 Domine ?* Hæc ossa humiliantur in peccato : humiliantur
 quidem, quia in certamine contra hostes succubuerunt,
 & ideo manent viribus suis desitutæ. Fides mortua est,
 spes diminuta, caritas perit, charitas erga proximum
 evanuit. Nonne perit castitas, cum alienæ uxori adhesi-
 ? Nonne friguit charitas, cum virum innocentem occidere
 iussi ? Nonne perit gratitudo, cum Uriam servum mi-
 hi fidelem, qui pro me in castris militabat, non solum
 non donavi præmio, sed morte affeci ? Sed hæc virtutes,
 quæ in hac vita tam humiliatæ sunt, ut vitii aliquando
 succubuerint, in gloria tamen cœlesti, intactæ & in-
 victæ suscipient de manu Domini fortitudinem : quoniam
 tunc nulla erit vitiorum pugnantium infestatio. Siquidem
 factus est in pace locus ille. (*Psal. 75.*) in quo contracta est
 omnium vitiorum potentia, ut jam non sit illis arcus oc-
 cultæ tentationis, vel gladius publicæ, qua duplici arma-
 tura adversus nos pugnare consueverant. Et quia in tan-
 ta pace virtus requiescit sine ulla belli sui formidine,
 ideo mirum in modum exultant. Et hoc est quod ait. *Et
 exultabunt ossa humiliata.* Et quia hæc omnia dantur (ut
 credit) in præmium auditui, ideo dicit. *Auditui meo da-
 vis gaudium, &c.* Audite ergo, & credite. Audite, hoc
 est, obedite præceptis Domini. Audite quæ vobis Deus
 intus in corde loquitur : nec contradicatis inspirationibus
 ejus. Quod si forte propter præterita peccata vos prophe-
 ta aliquis reprehenderit, patienter sustinete : cognoscen-
 tes peccatum, libenter audite : & tunc transferet à vobis
 Dominus peccatum vestrum, & postea dabit vobis gau-
 dium & lætitiā. Quam nobis præstare dignetur Jesus
 Christus : qui cum Patre & Spiritu Sancto, &c.

HOMILIA XIV.

*Averte faciem tuam à peccatis meis : & omnes iniquitates
 meas dele.*

HOC petit David sibi consulens, & Deum reveren-
 ter, quæ quia plurimum jam estimat, summa
 cum reverentia illum tractare cupit. Propter Dei revere-
 rentiam petit ab eo, ut avertat ipsæ faciem à peccatis : ne
 videlicet solo aspectu offendantur, rem tam sceleratam
 inspiciens. Sicut enim Petrus consorium suum declina-
 re petit, dicens (*Luc. 5.*). *Discede à me, quia homo pec-
 cator ego sum.* Qui enim aliquem nimium delicate diligit,
 nolle illum, vel minima offensione lædere. Sic etiam David
 nunc mihi fecisse videtur, qui peccata sua sceleratissima &
 horros plena esse cognoscens : ne Deus illorum, aspectu
 offenderetur, petit, ut Deus faciem suam avertat à pec-

catis illius. Sibi etiam ipsi consulens, hoc petit : ne vide-
 licet propter peccata sua, Dei consortio indignus habeat-
 tur. Et merito : quoniam nullus, in quo fuerint peccata,
 reperta, permittitur intrare ad gaudium & lætitiā illius ci-
 vitatis, in qua nihil inquinatum intrabit. Quapropter
 David, qui peccata sua agnoscebat, volebat ea sic esse ab-
 condita, ut nullatenus inveniri possent & videri : ne forte
 visa, gaudii & lætitiæ viam præcludant. Ideo ait. *Averte
 faciem tuam à peccatis meis.* Ac si diceret : Noli peccata
 mea aspicere : quoniam si ea aspicere vis, & me juxta il-
 la iudicare contendis, fordidos & abominabiles me exis-
 timabis, quo fiet, ut tamquam leprosum à consortio cœ-
 lestium virtutum me separet, atque extra muros civitatis
 illius sanctæ, in qua tu cum sanctis tuis in æternum ha-
 bitas, me ejicias. Quare oro te, ut peccata mea non res-
 picias, sed projicias ea post tergum tuum. Verum quid ait
 David ? Quid petit ? Numquid ignorat, quod oculi Do-
 mini contemplantur bonos & malos ? nihilque esse tam ab-
 ditum atque retrusum, quod in conspectu ejus non sit ?
 Quo pacto ergo petit ut avertat faciem suam à peccatis
 ejus ? Petit inquam, ut peccatorum ejus non recorde-
 tur. Nam in ea quæ bene & exacte cognoscere volu-
 mus, oculos intendimus, & faciem objicimus : ea autem
 quæ à tergo tenemus, videre non possumus. Et inde or-
 tus est sermo, ut quorum bene recordemur, dicamus in
 faciem semper & coram oculis habere. Quorum autem
 oblitum sumus, ea post tergum projecta esse dicamus. Cum
 ergo ait. *Averte faciem tuam à peccatis meis,* petit, ut
 peccatorum illius non recordeatur. Et merito hoc petit
 quoniam qui alium offendit, & se offendisse cognoscit, ac
 penitet, vehementer optat, ut ab eo læsus offensio-
 nis propriæ obliviscatur : quoniam toties credit renovari of-
 fensam, quoties illius recordatur offensus. David, ergo,
 qui Deum offenderat, & peccatum suum cognoscebat, &
 illud contra se statuebat, ut de illo peniteret, hoc unum
 optat, ut Deus, quem offenderat, peccatorum ejus obli-
 visceretur, ne videlicet aliquando in posterum peccata
 sua Deus illi exprobet : nam & hoc nimis durum si con-
 tingeret, existimare. Sed dicit forsitan aliquis, quo pacto
 fieri potest, ut Deus obliviscatur, qui omnia cognoscit,
 cui nihil est præteritum, sed omnia præsentia ? cui nihil
 mortuum, sed omnia vivunt ? Non est enim Deus talis, ut
 oblivisci possit sicut nos, quos parvo temporis curriculo
 interjecto, eorum, quæ antea probe cognoscebamus, sta-
 tim memoria subterfugit. Verum nos non dicimus Deum
 peccatorum oblivisci : quasi jam propter oblivionem nesciat
 aliquem peccatorem hæc aut illa peccata commisisse,
 sed quia & si hoc sciat, decrevit tamen nullam de illis
 vindictam sumere. Et hic loquendi tropus visitatissimus
 est, non solum in sermone latino, sed etiam lingua vul-
 gari, præsertim nostra, hoc est Hispana : ut videlicet
 eum, qui paratus est injurias vindicare, dicimus injurias
 memorem, & injurias observantem. Rursum eum qui in-
 jurias parca, dicimus injuriæ immemorem, & injurias
 minime observantem, non quasi jam nesciat se ab illo of-
 fensum : sed quia & si agnoscat, non tamen hæc cognitio
 illa tendit, ut cor ad vindictam sollicitet. Deus ergo tunc
 peccatorum oblivisci dicitur, cum illa jam non ad peccata
 nullam impunitat. Cum ergo David ait, *Averte faciem tuam
 à peccatis meis,* hoc petit, ut Deus, iniquitatum ejus non
 recordeatur : hoc est, ut nolit ea morte punire. Propter
 quod, alia translatio ait. *Averte faciem tuam à peccatis
 meis.* Unde constat sibi faciem pro ira poni, nec immerito,
 cum ira hominis maxime ex facie agnoscat. Cor enim ho-

mi-

minis mutat faciem ejus. (*Ecc. 13.*) Et hinc oritur illa que-
 rela quam habebat Jacob adversus Laban, dicens : (*Gen.
 31.*) *Non enim me respicit sicut hari & nudus fertur.* Putat
 quidem Jacob crimen quod corde Laban conceperat, in
 vultu manifestari : quoniam torum illum atque trucem
 aspectum quandam irati animi imaginem esse consuebat.
 Quia ergo ira in facie exprimitur : ideo facies ponitur pro
 ira, quam ipsa facies exprimit. Sic enim idem Psaltes ali-
 bi capit, dicens. (*Psal. 20.*) *Pone eos ut clibanum ignis
 in tempore vultus tui.* Hoc est, in die iudicii & iræ tuæ.
 Nam & hoc verba sequentia aperte ostendunt. *Domine
 inquit in ira sua conturbavit eos, & devoravit eos ignis.*
 Hæc faciem iræ, petit averti à peccatis suis David, dicens,
Averte faciem tuam à peccatis meis. Quod idem est, ac si di-
 ceret. Noli peccata mea respicere, non sis memor eorum
 amplius. Non intendas in ea faciem iræ tuæ. *Nam si iniquitates
 observaveris Domine, Domine quis sustinebit ?* (*Psal.
 127.*) Si enim peccata semel commissa, quamlibet vera
 succedente penitentia, tu ad punitionem observare decer-
 nis, nullus est qui subsistat. Nullus est qui de æternæ vi-
 tæ afflictione non desperet, si Deus peccatoribus veniam
 negaret. Si solummodo offenderet severitatem, non etiam
 adhiberet pietatem, nemo æternæ felicitatis gloriam ex-
 pectaret, nemo iusti examinis pœnam sustineret. Non est
 certe homo qui non peccet : neque infans, cuius est unius
 diei vita super terram. Si ergo semper observares iniquita-
 tes ad peccatum, nullus esset homo qui non deiecerit ani-
 mam suam : cum nullus fit qui non peccet. *Quia tamen
 apud te propitiatio est, & propter legem tuam sustinui te Domi-
 ne.* Hæc est lex tua, quam delinquentibus in via dedisti :
 ut videlicet qui confessus fuerit peccata sua, misericordiam
 consequatur. Propter hanc legem sustinui te Domine, &
 in te uno confido, quod præces peccatis meis. Nisi enim
 hanc tuam misericordiam legem agnovissem, iam dolore
 animi defecissem. Ego autem confessus sum peccatum
 meum : quapropter spero quod juxta legem tuam miseri-
 cordiam mihi præstabis. Et in hac tua misericordia con-
 fidens, peto, ut avertas faciem tuam à peccatis meis. Da-
 vid enim peccata sua semper coram oculis suis habebat : ut
 eorum & iudicium, & turpitudinem, & horrorem, & mali-
 tiam consideraret, & inde doloris occasionem sumeret : ideo
 precatur, ut Deus faciem suam ab illis avertat. Scit enim,
 quod si quis peccatorum suorum obliviscatur, Deus pec-
 catorum illius maxime recordatur. Et quanto magis ini-
 quitates suas peccator considerare refugit, tanto magis eas
 conspectui divini majestatis opponit, ut eas videat, &
 puniat. Si quis vero peccatum suum agnoscat & confite-
 tur, Deus illius obliviscitur. Tunc enim nostrum pecca-
 tum Deo celamus, cum illud sacerdoti per confessionem
 manifestamus. Sic enim Deus per Ezechielem Prophetam
 promissit dicens : *Si impius egerit penitentiam, ab omnibus
 peccatis suis quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta
 mea, & fecerit iudicium & justitiam, vita vivet, & non
 morietur. Omnium iniquitatum ejus non recordabor. Non re-
 cordari se ait, pro eo quod est nolle morte æterna punire.*
 Nam hoc, verba quæ sequuntur aperitissime ostendunt,
 quibus ait. *Numquid voluntatis mea est mors impii, & non
 magis ut convertatur & vivat ?* Verum hoc admonitione
 dignum est, ut quisque consideret, qua conditione, &
 quibus legibus Deus promittat se non recordaturum pec-
 catorum quæ impius operatus est. Si impius (inquit ille)
 egerit penitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est,
 & custodierit omnia præcepta. In quibus verbis duo exigere
 videtur Deus. Primum, ut pro peccatorum penitent. Alte-

rum, ut in posterum omnia Dei præcepta custodiat. Ex
 quo loco non parvum argumentum sumere possumus con-
 tra Lutherum, qui ait, optimam, & exactam peniten-
 tiam esse novam vitam. Si optima penitentia est (ut Lu-
 thero placet) nova vita, nullum erat opus post verbum
 de penitentia, addere custodiam præceptorum. Cum er-
 go nullum Dei superfluit verbum, oportebit fieri peni-
 tentiam referri ad præterita, custodiam præceptorum ad
 futura. Ita, ut intelligamus, quod duo hæc Deus exigat
 à peccatore, ut peccatorum ejus non recordeatur. Primum
 est, præteritorum penitentia. Alterum, custodia manda-
 torum Dei. Sed vera & exacta penitentia utrumque am-
 plectitur, præteritum & futurum. Unde convincitur,
 penitentiam esse peccatorum omnium torum, quo pec-
 cata delentur de memoria divina. Hoc pertinet videtur
 illud, quod post victoriam, quam Josue de Amalechitis
 habuit, Dominus promissit Josue, dicens : (*Exod. 17.*)
Ego delebo memoriam Amalech de sub cælo. Amalech inter-
 pretatur gens bruta, & denotat peccatum : quia hoc brutus
 nos similes efficit. Non enim ob aliam causam homo
 comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est
 illis : (*Psal. 48.*) nisi quia non intelligens Dei bonitatem &
 virtutem, illi præferre creaturam non erubuit. Ideo Pro-
 pheta (*Psal. 31.*) peccatores admonens, ait : *Nolite fieri
 sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.* Ille sub Ama-
 lech vivit, in cujus mortali corpore (ut ait Paulus *Rom.
 6.*) regnat peccatum. Cum Amalech pugnat, qui vitii
 resistit. Vincit Amalech, qui malæ vitæ præteritæ penitentia,
 qui omnia peccata desert, & illa coram sacerdote confite-
 tur. Habita victoria, Deus promittit se delentur memo-
 riam Amalech : quia habita vera penitentia, omnium deli-
 ctorum Deus non recordatur. Si tu Amalech deviceris,
 Deus continuo memoriam ejus delebit. Pugna ergo tu ad-
 versus Amalech, & pro victoria contende. Sed quo mili-
 te, quo duce, quo ordine bellum, hanc assequeris victo-
 riam, audi. Hujus pugna dux sit confessio, cui soli om-
 nis victoriæ laus tribuitur : quoniam hæc est quæ hostes
 quoque fortissimos trucidat sæpe, & in fugam vertit sæ-
 pissime. Sub hoc duce, tres ordines in aciem constitue. In
 primo loco constitues timorem pœnæ. In secundo, amorem
 Dei. In tertio, dolorem culpæ. Verum ne his sic in acie
 dispositis fugere contingat, alios tres ordines à tergo collo-
 cabis, qui prioribus favent, illosque ad bellum urgeant.
 Spes veniæ à tergo favet timori, quoniam facile deiecerit
 timor, nisi illum sublevet spes. Amorem Dei fovet con-
 sideratio bonitatis illius. Quomodo enim timorem pœnæ
 causæ immensa Dei potentia, sic amorem illius pietas &
 misericordia. Denique dolorem culpæ juvat consolationis
 spes. *Beati qui lugent* (inquit veritas *Matth. 5.*) *quoniam
 ipsi consolabuntur.* Si hunc bellordinem servare volueris,
 facile peccata omnia vinces. Si ergo vis, ut Deus pecca-
 torum tuorum non recordeatur, tu illorum memineris. Si
 vis, ut Deus avertat faciem suam à peccatis tuis, stude-
 tu illa ante faciem tuam, & ad Davidis exemplum, pone
 illa contra te semper. Sed ut hæc plene fiat, oportet, ut
 peccator omnium peccatorum, quæ operatus est, peni-
 teat : quoniam si minimum eorum (modo illud lethale sit)
 placeat, vel etiam si displiceat, fuerit sacerdoti celatum,
 hoc solum efficit, ut Deus omnium aliorum recordetur,
 & in ea omnia faciem iræ suæ intendat. *Si impius* (inquit
 ille, *Eccl. 18.*) *penitentiam egerit de omnibus peccatis suis,
 quæ operatus est.* Ut ergo Deus omnium obliviscatur, ope-
 ret, ut tu de omnibus doleas, & omnia confitearis. Deus
 enim aut omnibus peccatis parcat, aut nulli. Nam de illo

K

di-

Et qui hæc vasa deserunt, mundari eos oportet, ut illa, quæ intra vasa continentur, percipere valeant. Est etiam alia hujus petitionis ratio, quæ petit cor mundum sibi dari, ut videlicet Deum in corde suo recipere mereatur. Deus enim cum sit mundissimus, ipse mundum vult habere locum omnem in quo habeat stationem suam quoniamlibet parvam: quoniam nec ad horam, nec ad momentum temporis in loco immundo quiescere valet. *Nam in malevolam animam non introibit sapientia. (Sapi. 1.)* qui enim vinum pretiosum vult alicui vasi infundere, prius mundat exacte vas ipsum, ne immunditia vasis noceat vino. Quid putas illum facturum, si balsamum veller infundere, aut alium quemvis pretiosorem liquorem? Ego non habito quemque eo diligentius vas quodlibet mundaturum, quo pretiosorem liquorem decernit illi vasi infundere. Deus autem pretiosus est sine pretio. *Argentum siquidem in comparatione illius arena est exigua. Et omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari. (Sapi. 7.)* Diligentissime ergo, quique mundare debet cor suum, si Deum in corde suo recipere vult, alicui injuriam facit Deo, illum non (ut decet) aestimans, si corde suo non plene mundato, Deum in illo recipere præsumit. Si ergo tu bene de Deo sentis, in bonitate & magnificentia, & munditia cor tuum cura mundare, ut dignum sit in quo Deus habitare velit. Si quis enim (ut ait Paulus 2. Tim. 2.) emundaverit se, erit vas in honorem sanctificatum & utile Domino ad omne opus bonum paratum. Quo pacto vero illud mundes, Hieremias te docet. *(Th. 2.)* sic inquit. *Effundat sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini.* Sicut aquam, inquit, non sicut mel, aut sicut vinum, aut sicut lac, aut sicut alium quemcumque liquorem. Nam si alium quemcumque liquorem præter aquam ex vase effuderis, manebit postmodum vas ipsum parte aliqua liquoris effusi superfluitum, ut contingit in melle & oleo, aut odorem effusi liquoris retinebit. Nam (ut dixit Horatius) quo semel est imbuta recens servabit odorem testa diu. Aut si horum neutrum contingat, colore saltem pristini liquoris vas ipsum sic manebit infectum, ut censas à liquore vas mutasse colorem. Nihil horum reperies in aqua. Hæc enim cum effusa fuerit, nihil aut saporis, aut odoris, aut coloris post se relinquet in vase. Et ob hanc causam, sicut aquam effundere cor nostrum præcepit Propheta. Sunt enim aliqui, qui se peccasse cum dolent, quorundam peccatorum penitentes, alicui alteri blandiuntur, aut si forte omnium penitent, aliquid eorum erubescit causa, in confessione retinent. Isti quasi mel aut oleum cor suum effundunt: quia in corde suo quadam peccati reliquias retinent. Sunt rursus alii, qui se peccata sua omnia confiteantur, & ab eis opere abstinent, affectum tamen peccati retinent, & isti effundunt cor suum sicut vinum: quod postquam effusum est, odorem in vase relinquit. Alii demum sunt, qui se si omnia confiteantur, & effectum pariter atque affectum deserant, peccati tamen vulgum non deserunt: quoniam eadem peccati similitudines, quas prius deserunt, eadem sunt colloquia, eadem gressus, & eadem conversationes. Hi nempe effundunt cor suum sicut lac: quod in vase nullo effusum est, sicut relinquit colorem. Aqua autem nihil horum habet: quoniam cum semel effusa fuerit, in nullum saporis, aut odorem, aut colorem in vase relinquit. Sicut aquam ergo effunde cor tuum. Sic peccata tua omnia in aures sacerdotis effundens, ut nullus eorum affectus, nulla illorum facies in te maneat. Sic igitur oportet mundare cor tuum, ut dig-

num sit Deo habitaculum: ita videlicet, quod nec affectus, nec effectus, nec color pristinae immunditiae maneat. Alioqui si horum aliquid insit, cordis tui habitaculum propter illius immunditiam designabitur Deus. In cuius figura templum, quod à gentibus violatum fuerat, Judas Machabæus mundari præcepit, & alterum novum constituit, & vasa nova facit. *(1. Macab. 3.)* Non ob aliam causam hæc facit Judas, quam quod cognoscit mirabilem illam ac stupendam Dei munditiam non posse in loco immundo habitare. Ideo igitur templum, quod domus Dei est, mundat: ut illud dignum Deo habitaculum reddat. Quid autem sit verum Dei templum, Paulus in priore ad Corinthios epistola (cap. 3.) explicat, dicens: *Nescitis quia templum Dei estis vos, & Spiritus Sanctus habitat in vobis?* Hoc enim verum Dei templum est, hæc vera ejus domus, in qua verus Deus habitat, quam in quovis alio corporeo templo. Deus enim (ut alibi Paulus disputans ait *Ad. 17.*) qui fecit mundum, & omnia quæ in mundo sunt, hic celi & terræ cum sit Dominus, non in manu factis templis habitat. Nam & hoc ipsemet Deus per Esaiam Prophetam Judæis perverse sentientibus ait? *(cap. 66.)* *Cælum sedes mea est, terra autem scabellum pedum meorum. Quæ est ista domus quam edificabitis mihi? Et quis est ille locus requiescentis mee? omnia hæc manus mea fecit, & facta sunt universa ista, dicit Dominus. Ad quem respiciam nisi ad pauperem, & contritum spiritu, & tremementem sermones meos? Hoc dicit, ut Judæorum convincat errorem: qui putant invisibilem, incorporeum, & incomprehensibilem Deum, templo Hierusalem posse concludi. Et hunc eundem errorem ipse templi structor Salomôn rejicit, *(3. Reg. 8.)* dicens: *Si enim cælum & celi colorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc quam edificavit Conditor igitur celi & terræ, qui in terris templum se habere denegat, humilem, & quietum, & tremementem sermones suos hominem libenter assumit in templum dicens: Ad quem respiciam, nisi ad pauperem, & contritum spiritu, & tremementem sermones meos? Quicumque ergo humilis est, & quietus, & tremens sermones Dei, illum respicit Dominus, & illum in habitaculum suum eligit, & talibus ait Apostolus. *(1. Corinth. 3.)* *Templum Dei estis vos, & Spiritus Sanctus habitat in vobis.* Hoc templum dedicatur, & consecratur Deo per baptismum, in quo baptizatus renuntiat diabolo, & omnibus operibus ejus. Et tunc templum Dei sanctum est. Quod autem semel Deo dedicatum est, jam ad alios usus capi non licet. Non est ergo æquum, ut homo baptizatus terrena cogitet, terrena concupiscat, pro terrenis suscipiat. Vide ergo homo fidelis, qui per baptismum Deo consecratus es, vide quid agas: cave ne aliquid in templo hoc facias, per quod templi habitationem ostendas, per quod templum violes: quoniam (ut ait Paulus 1. Corinth. 3.) *Si quis violaverit templum hoc, disperdet illum Dominus.* Violat autem qui peccat, qui aliquid vitio Dei indignum facit, & hunc talem velut templi violatorem disperdet Dominus: Et merito. Nam si eligeret in Ecclesia facere adulterium intra parietes istos, quid te esset sceleratius? Modo autem tu ipse es templum Dei, & intra cordis tui latebras adulterium facis, homicidium perpetrans, & aliajnumera flagitia committis, & non verteris? Si locum reverberaris, templum videlicet corporeum, venerat cor tuum, quod multo dignius est templo illo corporeo manu hominum facto. De talibus, qui hoc Dei templum per peccatum violant, ait Propheta *(Psal. 78.)* *Deus supervertit gentes in hereditatem suam, polluturunt templum sanctum suum.* Anima Christiana sicut Dei templum,**

plum, ita & Dei hæreditas dicitur: Si hæc inrescentibus vitis succumbit, & demoni subditur, tunc templum Spiritui Sancto dedicatum, gentium criminibus polluitur. Polluto templo & violato, tamquam à loco immundo recedit Deus, & ob hanc causam nihil ad Dei cultum pertinet in eo fieri licet. Et corde nostro per peccatum polluto, nullum meritum ad vitam deducens æternam operari possumus: quosiam jam Deus inde tamquam ex loco immundo recessit. Quod si Deum ad nos remeare cupimus, satagere oportet, ut prius cor nostrum mundemus & purificemus. Verum quis ad hanc templi purificationem sufficere? Quis erit tanto opere dignus? Quis ad tam difficile opus idoneus invenietur? Nullus, nisi Judas, cui soli hoc munus servatum est. Judas siquidem interpretatur confessio, & hæc est, quæ ex immundo facit mundum, hæc est quasi quadam spiritalis scopæ, quæ peccatorum omnium immunditiam perduntur. Hæc scopæ mundata erat domus illa, à qua dejectus immundus spiritus, cum ad eam redire tentasset, intrare non potuit. *(Psal. 76.)* Ideo David ait: *Et meditatus sum nocte cum corde meo, exercitabar, & scopam spiritum meum.* Hanc autem peccati confessionem, nisi Deo motore facere non possumus. Quoniam sicut (teste Paulo 2. Corinth. 3.) non possumus facere nec cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis: ita nec etiam boni aliquid eloqui. Quoniam (ut idem ait 1. Corinth. 12.) nemo potest dicere Dominus Jesus nisi in Spiritu Sancto. Nemo ergo potens est plene peccata sua confiteri, nisi à Deo fuerit illi datum. Quapropter peccatori ad confessionem parato summe necessarium est, ut Deum & Sanctosoret, quatenus ab eis veram peccati confessionem impetrare valeat. Quo fit, ut tota cordis munditia, quæ per confessionem habetur, in Deum tamquam in fontem & primum illius auctorem rejicienda sit: quoniam ille est, qui ad confessionem urget, & confidentem juvat, & confessum mundat. Et ob hanc causam David nunc Deum pro cordis munditia orat, dicens: *Cor mundum crea in me Deus.* Te solum oro: quoniam tu solus mundus es. Tu solus potes facere mundum de immundo, tu solus agnus sine macula, qui solus tollis peccata mundi. Tu ergo crea cor mundum in me, ut te ipsum in corde meo recipere valeam. Nam ego pollui templum tuum, quod erat cor meum: pollui (inquam) adulterio, violavi effusione sanguinis Unitæ: tu ergo illud purifica, crea illud mundum, fac illud castum, quoniam tu castus es; fac illud pius, quoniam tu pius es; fac illud mansuetum, quoniam tu mansuetissimus es; ut te mundissimum ego mundus recipere merear. Munda cor meum, ut mundo corde te hic cognoscere valeam per fidem, & tandem aperte videre in gloria. Quam nobis prestare digneris per meritum Jesu Christi filii tui, qui tecum & cum Spiritu Sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XVII

Qui prius cor mundum sibi dari postulavit, ut Deum in se recipere & agnoscere mereretur: nunc ut recedat, incedat Spiritum rectum petit. Scit enim David, quia non est hominis via ejus, nec viri est ut ambulet & dirigat gressus suos, *(He. 10.)* & ob hanc causam spiritum rectum petit, qui illum per devia quæque vagantem incedere non sinat, sed ad semitam rectam reducat. Cor hominis (ut ait Salomon Prov. 19.) disponit viam suam,

sed Dominus est dirigere gressus ejus. Et iterum: *(Ibi. 20.)* *A Domino diriguntur gressus viri.* Homo enim sibi relictus, via incedet, quæ sibi videbitur pulchra, sed novissima ejus ducent ad mortem: quapropter spiritu directore indiget, quo dirigatur. Propter quod Paulus non immerito pro Thessalonicensibus orabat: *(2. Thef. 3.)* dicens: *Dominus autem dirigat corda vestra in charitate Dei, & patientia Christi.* Hinc est quod Ezechiel Propheta *(cap. 1.)* postquam descriperat illa sancta quatuor animalia penata, dixeratque unumquodque illorum ante faciem suam ambulare, statim subjunxit: *Ubi erat impetus spiritus, illic gradiebantur.* Quatuor illa animalia sicut quatuor Evangelistas, ita etiam justos quosque designant. Omnis enim justus, & in via Dei perfectus vir, aliquid de ratione cujuslibet horum quatuor animalium sibi vendicat: ita, ut juxta unam rationem sit homo, & juxta aliam leo, & secundum aliam considerationem dicatur vitulus, secundum aliam denique aquila. Homo enim rationale animal est: qui ergo integra ratione pollet, homo dicitur: quoniam il, qui paullulum à ratione defecerunt, facti sunt sicut equus & mulus quibus non est intellectus. *(Psal. 31.)* Vitulus in sacrificio mactabatur: & justus quique semet ipsum ab hujus mundi voluptate mortificat, & ideo vitulus dici potest. Nam propter hanc solum sacrificii rationem laus, quæ Deo offertur, vitulus etiam per Prophetam Oseam *(cap. 14.)* vocatur. *Reddemus (inquit) vitulus laborum nostrorum.* Leo fortissimus bestiarum est, qui (ut ait Salomon Prov. 20.) *ad nullum pavabit occursum.* Justus autem contra omnia adversa infractum semper & invictum opponit animum. Propter quod Salomon iterum, dicit: *(Prov. 28.)* *Justus quasi leo confidens absque terrore erit.* Aquila in alta volando se flevat, & (ut est aptus Job cap. 36.) *in arduis ponit nidum suum, & justus quique ad cælestia contemplanda elevatur, & in arduis crucis Christi sibi nidum facit, in quo tamquam in foraminibus petrae, a ut caverna mæcerie securus requiescit.* Omnis ergo justus propter prudentiam dicitur homo, propter temperantiam vitulus, propter fortitudinem leo, propter justitiam merito dicitur aquila. Hæc igitur sancta animalia ante faciem suam ambulant: quia semper cælestia inquirunt: numquam ad terrena, quæ semel reliquerunt, revertuntur, scientes, quod nemo mittens manum ad aratrum, & aspiciens retro, aptus est regno Dei. *(Luc. 9.)* Justi ergo, ne velut inepti regno Dei abjiciantur, semper ad antea faciem se extendunt. Unde Paulus Philippensibus scribens *(cap. 3.)* ait. *Quæ retro sunt obliviscens, ad ea vero, quæ sunt priora extendens me ipsum, ad designatum obsecrum superne vocationis in Christo Jesu.* Temporalia obliviscens Paulus, tamquam quæ à tergo reliquerat, ad spiritualia quæ concupiscebat se extendebat. Potest etiam aliter hoc intelligi: ita, ut justus quique, qui semper proficere optat, nullo bonorum operum numero sit contentus, sed semper ad ulteriora opera exarcenda procedere sataget. Et bona semper faciens, semper meliora perquirat, aut pergens de virtute in virtute, videat Deum deorum in Sion. Sed cum semper ante faciem suam gradiantur, non nisi Spiritu Sancto impellente moventur. Et ideo dicitur: *Ubi erat impetus spiritus, illic gradiebantur.* Variis enim gressibus incedunt justus, & varias vias capiunt, ad eandem tamen perveniunt omnes: quia Spiritu Sancto ductore moventur. Sunt enim aliqui, qui casto conjugio sperant se vitam consecuturos æternam. Sunt rursus alii, qui se propter regnum cælorum castitant, hoc melius esse cum Paulo existimantes. *(1. Corinth. 7.)* Sunt aliqui, qui Martham

divinus Pates in (Psal. 103.) ait. *Qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuam.* Cum Deus sanat, omnem infirmitatem sanat, aut nullam, ipsomet testante, qui ait: (Joan. 7.) *Totum hominem sanam feci in sabbato.* Propter quod beatus Augustinus impium esse censet (& non immerito) dimidiam a Deo sperare veniam. Et hoc sciens David, ait. *Et omnes iniquitates meas dele.* Ut ergo omnes nostras infirmitates sanet, oportet illi per confessionem omnia peccatorum vulnera manifestare, & de omnibus dolere. Nam cum Pharaon per Dei virtutem perit in mare cum exercitu suo, omnes suffocati sunt, ita ut unus ex eis non remanserit. (Exod. 13.) Sic exultantibus a mystica Aegypto (hoc est) a peccato, faciendum est, ut in contritione, quae amara est velut mare, omnia peccata suffocentur: sic, ut unus ex illis non remaneat, de quo non vere doleant peccatores. Leprosus juxta legem mundandus omnes tenebatur radere capillos. (Levi. 13.) Sic qui a peccatis mundari oportet, expedit illi, ut omnia peccata, immo & peccatorum cogitationes, quae verius per capillos designantur, de corde radat. Sauli adversus Amalech pugnantem praecepit Deus, (1. Reg. 15.) ut demoleretur universa ejus, & nulli parceret, sed interficeret omnes, a viro usque ad mulierem. Et quia hoc non fecit Saul, sed potius servavit Agag Regem vivum, & greges, armenta, & vestes, ideo reprobus est. Amalech esse peccati figuram, jam supra docuimus. Peccatum autem omne in triplici differentia consistit. Aut enim ab ignorantia procedit, aut ab infirmitate, aut a malitia. Ut ergo omne genus peccati dolore & confessione interficiendum inueniret, praecepit interfici totum Amalech, virum, & mulierem, & puerum lactantem. Puer lactans Amalechita peccatum ab ignorantia proveniens designat: quoniam puer lactans nondum intelligit quae agit. Mulier autem Amalechita, peccatum illud significare dignoscitur, quod ab infirmitate sumpserit originem. Nam infirmitas & fragilitas, huic sexui aptissime congruit. Vir denique Amalechita peccatum a malitia ortum significat. Omnia haec delere oportet, quia omnia peccata sunt per contritionem & confessionem interficienda. Nec hoc satis, sed oportet etiam demoliri, & Amalech, & universa illius: quia omnia peccata & eorum circumstantias a maximo usque ad minimum oportet lachrymis & confessione expugnare: ita ut neque unus remaneat. Ille autem de Amalech servat vivum, qui peccatum tenet, de quo non dolet, aut si dolet, non confitetur. Is ergo ob hanc solum causam a Deo reprobat. Verum hoc non vacat mysterio, quod solum Regem servaverit, reliquo populo interfecto: quia & hoc solemne est iis, qui non plene confitentur, ut minima quaque peccata facile revelent, magna autem scelera subiceant. Quia cum reliqua omnia peccata expugnaverint, cupiam alteri tamquam fortiori aut potentiori succumbunt. Propter quod non victores, sed victi censendi sunt, & ideo indigni qui coronentur: quoniam non coronabuntur, nisi qui legitime certant, qui nulli vitio cedit, qui nulli peccato parit, qui quotquot invenit hostes, trucidat. Non enim victor dicendus est, qui cum multis occideret hostes, ab uno tandem aut altero interficitur. Tu ergo si victor evaderis copis, nulli peccato parces, omnium poenitentibus, omnia sacerdoti in aurem dices. Ut autem hoc facilius assequatur, fortissimos quoque hostes prius aggredere: quoniam his superatis, parvo cum labore & reliquos devinces. Maxima quaque scelera, quorum maxime verendum est, ob oculos pone, adversus hanc aciem toris viribus intende, illa primum confiteri satage: quoniam his

semel expugnatis, minimum erit negotium reliqua debellare. Facile reliqua omnia confitendo superabis. Sed quia non in manu hominis est victoria belli, sed de caelo fortitudo est, oportet precari Deum, ut nos in hoc certamine juvare dignetur, ut nobis memoria fovet & augeat, quae omnium male actorum possit remissioni, ut nostrum intellectum illuminet, qui vere de suis operibus judicare valeat, ne videlicet mala pro bonis judicet, ut inflammem affectum, qui mala, quae fecit, hostiliter odiat, & nullo pacto illis saveat, ut labia nostra aperiat, & linguam moveat, quae peccata omnia sua sacerdoti in aurem dicat: ut vel sic omnia vitia nostra vincamus, quibus devictis, possimus pervenire ad coronam gloriae caelestis. Quam nobis prestare dignetur Jesus Christus filius Dei, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat, per infinita secula seculorum. Amen.

HOMILIA XV.

Cor mundum crea in me Deus.

Hucusque David peccatum, quod magnum, & multiplex, & tenaciter impressum esse cognoscebat, donari sibi postulavit: nunc vero ultra progrediens, eoque quod multum de Dei misericordia & liberalitate confidat, gratiam a Deo postulare non dubitat. Et quia gratia ipsa triplex esse sanctorum testimonio comprobatur, ideo triplici illam petitione distinguit. Nam est gratia quaedam praeventiva, quaedam subsequens, sive cooperans: quaedam etiam perficiens, & consummationem prestans. De prima dicitur: (Col. 1.) *Cum autem placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meae, & vocavit me per gratiam suam.* Nisi enim ille vocaret, nos ad illum non possemus accedere. De secunda gratia, videlicet subsequente & cooperante, dicitur: (2. Corinth. 13.) *Plus omnibus laboravi, non autem ego, sed gratia Dei mecum.* Quapropter de iusto, qui Deo favente, in quo solo totam suam spem collocavit, bona operatur, dicitur per Hieremiam propheta. (cap. 17.) *Benedictus vir qui consistit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus.* Et erit quasi lignum, quod transplantatur super aquas: quod ad humorem mittit radices suas & non timebit, cum venerit aestus. Certe abique humore aquae desiccantur ligna. Nam & semen, quod supra petram jactum est, (Marc. 13.) natum aruit, quia non habebat humorem. Sic non poterit quisquam, aqua gratiae seclusa, boni operis fructum producere. De tertia, videlicet consummationis, dicitur: (Phil. 2.) quia sicut Deus operatur in nobis velle, ita etiam perficere. Propter quod Hieremias (cap. 17.) de viro iusto loquens, postquam dixerat lignum ad humorem aquarum mittere radices, ut uberiorem aquarum virtutem exprimeret, addidit. *Et erit solum ejus virides, & in tempore siccitatis non erit sollicitum: nec aliquando desinet facere fructum.* Prima gratia est, quae peccata consumit. Eadem est, quae iustificat, & ideo ait Paulus. (Rom. 3.) *Iustificati gratis per gratiam Dei.* Hanc gratiam petit tunc David, cum ait. *Cor mundum crea in me Deus.* Operabitur quippe David, ut Deus, qui illum creaverat, in corde illius tamquam in quodam tabernaculo quiescent, habitaret, & habitans, prius tunc visibilis esset, ab eo postea videri: sed quia cor immundum ad haec munia exequenda ineptum esse censebat, ideo cor mundum operat, ut tanto hospitii digna sit cordis sui habitatio, & tamen hospitem videre & alloqui valeat. Nam ut utrumque horum exequi possit, summe necessaria est cordis munditia. Verum (ut

ait Salomon Prov. 26.) *quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum a peccato?* Agnoscebat siquidem David immunditiam, quam ex peccato cor suum contraxerat, a qua mundari non poterat, nisi Deus, qui solus mundum ex immundo facere potest, illum mundare dignaretur: ideo hanc ipsam munditiam a Deo sibi dari petiit, dicens: *Cor mundum crea in me Deus.* Crea in quam: quoniam in me nulla est munditia, nulla puritas: te ergo solum eam condere oportet. Nam hoc ipsum creare est, cum videlicet ex nihilo aliquid fit. Creaveris igitur, si me mundum feceris, cum nihil in me praecedat, nisi immunditia. Plus enim in me reperies quod obstat, quam quod juvare te possit, ut mundum me facias. Cum enim ego peccavi, ad nihilum bonitatis redacti sum: (Psal. 72.) quoniam & si Rex sum, & Propheeta, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam, & si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habens, nihil sum. (1. Corinth. 13.) Ut ergo cor mundum facias, creare te illud oportet, totum ex novo fingere: quoniam si aliquid veteris cordis manserit, mundum non erit cor meum: quoniam omnia quae in illo sunt, immunda sunt. Crea ergo illud, ut tale sit per gratiam, quale esse non potest per naturam. *Cor mundum crea in me Deus:* ut te in cordis mei tuguriolo recipere merear, & receptum videre valeam. Utrumque enim horum, exigit cordis munditia. Quod enim cordis munditia ad Deum videndum sit necessaria, ipsa summa veritas Christus servator noster testatur: (Mat. 5.) qui solis illis, qui sunt mundo corde, visionem promittit, dicens: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Beati (inquam) non solum in caelo, sed etiam in terra: non solum postea, sed etiam nunc in hac vallis miseria. Nam beati etiam sunt immaculati in via, qui ambulat in lege Domini. (Psal. 11.) Omnes enim & hi & illi beati: quoniam omnes tales Deum vident, quamvis multum iuter unam & alteram visionem interfit. Est enim quaedam facialis visio, qua fruuntur soli beati in caelo. Est altera obscura & specularis, quae habetur per fidem, quam soli fideles tenent: quoniam alii caeci sunt. Utramque, uno orationis contextu expressit Paulus, dicens. (1. Corinth. 13.) *Videmus nunc per speculum in enigmate:* tunc autem facie ad faciem. Impar certe est visio, & impar beatitudo: quoniam dissimilis valde est utrobique cordis munditia. Nam pro qualitate munditiae, est etiam visionis modus. Beati enim qui nullis peccatorum sordibus infecti sunt, qui sunt jam plene purgati: hi Deum facillime vident, quem nisi corde plene mundato, videre nullatenus possent. Quo fit, ut hi, qui in carne adhuc vitam agunt, quamlibet sint iusti, Deum videre nequeant: quia nondum oculi eorum sunt plene mundati. Nam Ecclesia illa speciosa, quam Christus sibi acquisivit (ut beatus Hieronymus super tricesimum primum caput Hieremias sentit) nunquam in hac vita erit sine macula & sine ruga, quousque ad aliam vitam transferatur, in qua erit plene purgata. Et ne verbis meis quicquam deroget fidem, verba ejusdem Hieronymi subiungam. Vide (inquit ille) quantum habeat loca Ecclesia, & quomodo illud apostolicum, ut sit sine macula & ruga, in futuro & in ecclesiis servetur. Audis angulos, audis scabiem, audis rugas & cimeres, & regionem mortis & tenebrarum, & de tua virtute & impeccantia gloriaris. Haec Hieronymus. Nullus ergo in hac vita absolute mundus est, ut Deum videre possit: quoniam & si peccatum per poenitentiam deleverit, & deleto tamen peccato, supersunt quaedam reliquiae, quae oculorum aciem minuunt. Saepissime enim contingit, ut corporeus

oculus, sublata jam vel exuffata festuca, aliquamdiu caligare videatur, & hoc in interiori mentis oculo evenit, ita, ut sublato peccato, in multis hallucinemur, ita, ut haec ipsa hallucinatio, sit quasi quaedam peccati praeritii reliquia. Nemo ergo sentinam ejiciens, mundatum se se protinus arbitretur, quinimo noverit se multis purificationibus egere. Nec modo lavandum aqua, sed etiam purgandum & examinandum igne, ut dicat: (Psal. 65.) *Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Beati ergo mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Nunc quidem in enigmate, tunc facie ad faciem. Utrobique siquidem munditia cordis exigit: quoniam nec etiam bene per speculum in enigmate Deum videt, qui cor suum habet immundum. Ut enim corporeus oculus pulvere superfuso aut humore aliquo defluente hebetatur, adeo, ut vix possit exacte rem aliquam inspicere: sic etiam spiritus oculis, interdum carnis libidine, aliquando avaritia, saepissime superbia turbatur, ut vere Deum agnoscere non valeat. Qui ergo bene de Deo sentire cupit, & divina penetrare vult, opus est, ut prius cor suum purget, & ab omni peccato mundet. Corde autem plene mundato, continuo dabit illi Deus intelligentiam: quoniam unctio spiritus docet nos de omnibus. (1. Joan. 2.) Et Hieremias (Thr. 1.) ait se erudium, missi a Deo igne in obsibus ejus. Hinc est, quod data lege filiis Israel, operatitque miraculis, quae illi eum non intelligerent, dixit illis Moyses. (Deute. 29.) *Custodite ergo verba pacti huius, & implete ea, ut intelligatis universa quae facitis.* Quibus verbis satis aperte docuit Moyses, transgressionem mandatorum Dei potissimum esse causam quod non intelligerent, nec viderent quanta fecisset illis Deus. Propterea David, qui experientia docente hoc agnoscerat, in (Psal. 118.) dicebat. *Declinate a me maligni, & servabunt mandata Dei mei.* Per hoc aperte insinuans, quod mandata Dei scrutari non poterat, cum malignorum spirituum insidias in mente tolerabat. Quod etiam in Isaac opere sub Palestinorum gravitate cognoscimus designari: qui puteos, quos Isaac foderat, terrae congerie replebant. (Gen. 29.) Putei isti, sacrae scripturae aut divinarum mysteriorum profunda secreta denotant, dicitur Salomon: (Prov. 18.) *Aqua profana, sapientia in corde viri.* Puteos ergo fodere, est sacrae scripturae abditos sensus & Dei profunda mysteria penetrare. Sed hos puteos occulte replent Palestini: quia nobis profunda mysteria scrutantibus, daemones terrenas cogitationes ingerunt, & impediunt, ne divinae sapientiae aquam invenire possimus. Sed quia hos hostes nemo sua virtute superare valet, opus est, ut a Deo petat, quatenus demonum infestationem a nobis auferat, ne terrenas cogitationes nobis ingerat, & si quid terrenarum affectionum a daemone jactum nostro cordi insidet, a nobis amoveat: ut, corde nostro bene mundato, Deum hic (ut decet) agnoscat, & agnitionem revereri valeamus. Et ob hanc causam David orat dicens. *Cor mundum crea in me Deus:* quoniam nisi tu cor mundum dederis, ego nunquam videre te potero. Quisquis ergo ad studium & intelligentiam alicujus veritatis accedit, ut illam plene intelligat, prius Deum oret, & cum Davide dicat. *Cor mundum crea in me Deus.* Et si hoc cuilibet discenti, & veritatem scrutanti est necessarium, multo magis Theologo, qui divina scrutatur profunda mysteria. Theologis enim congrue potest dici illud: *Mandamina qui servis vasa Domini:* Vasa Domini, sunt Prophetae & alii auctores sanctarum scripturarum. Nam de uno illorum dixit Deus: (Act. 9.) *Vas electiois est michi.* Vasa Domini dixerunt Theologi, qui in sacris auctoribus versantur.

imitantes, proximorum sollicitam curam gerunt, quatenus nihil illis de necessariis ad vitam desit. Sunt iterum alii, qui Deo vacare, velut optimam partem ad Mariæ exemplum sibi eligunt. Sunt etiam multi, qui predicatoris officium laudabiliter appetunt, auditorum magis profectum, quam Doctoris honorem appetentes, qui cum Esaiâ Propheta (cap. 6.) dicunt, *Ecce ego Domine, mitte me: Nec desunt etiam alii, quoad illum magna cum laude coacti trahuntur, cum videlicet non propter prædicationis laborem, sed quia tanto munere se impares sentiunt, prædicationem recusant, Hieremiam imitantes, qui cum à Deo fuisset sibi officium prædicationis inunctum, humiliter tamen reluctabatur, dicens: (cap. 1.) *A. a. a. Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum. Ecce quam variis atque invicem diversis viis hi omnes incedunt, omnes tamen Spiritu Sancto ductore moventur. Si quæras cur Esaiâ non reluctatur, aut cur Hieremias non se offerat? cur etiam Martha ad pedes Christi non quiescit, aut Maria non est sollicita? Certe respondere aliter non possumus, quam quod sancta animalia cum sint, ubi est impetus spiritus, illuc gradientur: (Hier. 10.) quoniam non est viri, ut ambulet & dirigat gressus suos, sed à Domino diriguntur gressus viri. (Prov. 20.) Ob hanc causam David, qui se velut ovem quæ perit se errasse cognoscebat, cavens sibi in futurum, & timens ne sibi relictus iterum errare contingat, (Psal. 118.) spiritum rectum petit, qui recta incedere via doceat. (Psal. 142.) Propter quod dicebat. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. Hunc ergo spiritum, qui in terram rectam deducit David petit, cum ait: Et spiritum rectum innova in visceribus meis. Quod autem dixit, innova, simile est illi, quod in prior parte huius versus dixerat, crea, propter quod apud Ezechielem, cor novum promittit Deus baptizatio, sicut spiritum novum, dicens: (Eze. 36.) *Dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri. Quod Ezechiel appellat cor novum, David cor mundum vocat. Cor ergo mundum petit creari, & spiritum rectum innovari, ut videlicet inueneret, nullam esse munditiam in corde suo, nullam rectitudinem extare jam in spiritu suo. Proinde ergo necessarium esse autumat, ut Deus nova faciat omnia, & ideo ait: Cor mundum crea in me Deus: & spiritum rectum innova in visceribus meis. Si enim veterem quem habeo spiritum reliqueris, non rectus, sed parvus erit, non dirigit gressus suos, sed ambulans vias difficiles, errabit à via veritatis. Ideo spiritum rectum innova in visceribus meis. Innovatur autem spiritus in nobis per charitatem. Nam inter multas ignis virtutes hæc una est & non parva, videlicet, innovare quæ jam senio consumuntur: ut videre est in ferro, aut argento quod usu veterascit, in igne autem projectum innovatur. Sic etiam peccator in vetustate peccati existens, igne charitatis superveniente consumpta peccatorum rubigine per gratiam renovatur. Ideo (Psal. 103.) David ait: *Emitte spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ. Verum quia prius vetera necesse est delere, ut restituantur nova, prout in omnium rerum generatione experimur, ubi prius necesse est veterem à materia expellere formam, quam novam inducere: ideo priusquam petisset spiritum renovatorem, spiritum veterem auferri postulat, dicens: *Auferes spiritum eorum, & deficient. Ad eundem etiam modum nunc David petitiones suas componit: quoniam ut spiritum rectum sibi innovari peteret, prius omnes suas iniquitates deleri postulavit. Nisi enim ille prior spiritus male sapiens abisset, novus spiritus dari non poterat. Delejitamen iniquitatibus, con-*****

tinuo novus spiritus datur. Innovato autem spiritu, mirum quam nova sint omnia. Novus oculus, nova auris, nova lingua, nova manus, novi pedes. Novæ inquam sunt cogitationes, novæ affectiones, nova verba, nova opera. Novæ enim sunt cogitationes eius, qui novum spiritum recepit: quoniam qui prius lætabatur cum maleficeret, & exultabat in rebus pessimis, nunc incipit recogitare annos suos in amaritudine animæ suæ. Qui prius de augendo patrimonio cogitabat, nunc de pauperibus, quibus illud dividat, cogitat. Affectus etiam sunt omnino innovati: ita, ut amara jam videantur, quæ male dulcia prius erant. Et quæ prius nolebat tangere anima illius, nunc jam dulcissimi cibi sunt illi. Qui prius divitias velut rem pretiosam pluris aestimabat, nunc illas omnes tamquam stercore arbitratur. Qui prius carnis illecebras dulces velut mel reputabat, nunc eas amaras velut fel draconum censet. Qui prius illas velut commodas perquirebat, inventaque extensis (ut ajunt) ulnis amplexabatur, nunc ab illis tamquam à veneno præsentaneo velocissime fugit: quoniam venenum aspidum insanabile illas esse judicat. Nova etiam est lingua: quoniam diversa valde sunt verba, quæ recepto spiritu loquitur, ab iis, quæ prius loqui consueverat. Sic enim à Christo promissum esse audimus. (Math. ult.) *Linguis (inquit ille) loquentur novis. Hoc etiam in Apotolis facile experiri possumus, si consideramus, quæ, & qualia sint illa, quæ ante adventum Spiritus Sancti loquebantur, longe quædam alia ab iis, quæ hausto jam illo celesti spiritu, nunc videtur cordium opifice, locuti sunt. Si enim eos ante receptum spiritum audis, raro audies quicquam præter ambitionem, timorem, formidinem, vindictam, immodicam sui divitiam. Audies enim quosdam petentes sedes duas, dextram videlicet & sinistram. (Math. 20.) Audies alios verba indignationis, plena ob hanc causam proferentes. (Luc. 9.) Audies eos omnes contendentes, quibus eorum futurus esset prior in regno celorum. (Joan. 11.) Audies etiam, si aures arrigis, illam vocem timore plenam: *Nunc volebant te lapidare, & vis iterum in Judæam ire?* (Math. 20.) Audies filios illos tonitru, Jacobum videlicet & Joannem promittere calicem Domini se bibituros, & Petrum illum Apostolorum Principem spondere animi sui constantiam etiam usque ad mortem: (Math. 24.) indifferere quidem & arroganter, qui pe non dum vires suas experti fuissent, nec scirent quid absque Deo possent. At postquam celestem illum spiritum hauserunt, continuo ceperunt loqui novis linguis: quia verba non jam humana, qualia prius, sed digna spiritu quem hauserant, loquuntur. Nam Petrus, qui prius ad mulierculæ vocem ter Dominum & magistrum abnegavit, recepto spiritu, à principibus iussus ut taceat, & Jesum non prædicet, magna cum audacia respondet. (Act. 5.) *Obedite oportet Deo magis quam hominibus. Vidistis novas linguas, videte etiam novas aures. Nam sicut nova loquitur, ita etiam nova audire fatigat. Qui enim prius rumoribus delectabatur, qui à veritate auditum avertibat, & ad fabulas convertebatur, nunc nihil dulcius estimat, quam verbum Dei. Sunt enim dulcia eloquia Dei super mel faucibus illius, qui spiritum novum accepit. (Psal. 118.) Nam qui ex Deo est, verba Dei audit. (Joan. 8.) Propriet quod de illo, qui vitam in melius mutavit, dicitur. (Psal. 80.) *Cum exiret de terra Ægypti, linguam quam non noverat, audivit. Si Ægyptus tenebra dicitur, quis alius de Ægypto exire verus dicendus est, quam qui peccata, quibus per ignorantiam male prius serviebat, deserit? Sed hic linguam quam non noverat, audit: quia verba Dei,***

quæ

quæ prius non noverat, audire incipit. Ur autem nihil mutet, quod non sit innovatum, superest, ut etiam nova opera ostendamus. Nonne novum est opus abstinentia, in eo, qui prius gula & ebrietate deserviebat? An non est novum opus, & admiratione dignum, ut propria jam distribuatur, qui prius solebat rapere aliena? An non est novum opus, ut is qui olim ambulabat in magnis & in mirabilibus super se, altiora se querens, nunc jam usque adeo se dejiciat, ut ad inferiora indignum se reputet, & qui olim in primo loco sedere contendebat, in novissimo loco nunc sedere fatigat. Novum certe est & mirabile, ut à propria uxore abstineat, qui ad alienas hinc se solebat. Nova sunt hæc omnia, à spiritu celesti nostrorum cordium novatore provenientia. Sicut enim qui ad ignem accesserit argens, cum postea fuerit calefactus, non dubitabit ab igne venisse calorem, quem antea non habebat: sic etiam, qui prius in iniquitate erat frigidus, si postea fervore quodam penitentiae accendatur, alium sibi spiritum, videlicet divinum, qui suum arguit, & dijudicat, non dubitabit advenisse. Propter quod David in (Psal. 103.) fructum novi spiritus adveniens explicans, dixit: *Renovabis faciem terræ. Nova enim videtur facies terreni cordis, cuius novæ sunt cogitationes, novi affectus, nova verba, nova denique sunt opera. Propter quod Paulus in posteriore ad Corinthios epistola, (cap. 5.) ait: *Si qua ergo in Christo nova creatura est, vetera transtulerunt, & ecce nova sunt omnia. Quibus verbis innuit Paulus hoc esse symbolum perfectæ renovationis in Christo, si videlicet prioribus peccatis desertis, nova deinceps sint omnia, nova cogitatio, novus affectus, nova lingua, nova opera. Et cum nova sint omnia, fieri necesse est, ut novus etiam sit homo. Plane novus, qui novum cor, & novum spiritum habet. Propter quod de Saule dictum est. (1. Reg. 10.) *Influet in te spiritus Domini, & mutaberis in virum alterum. Mutatur namque in virum alterum, qui novum spiritum recipit, quum qui peccator antea erat, tunc fit justus, quæ prius obligatus ad mortem, nunc jam deputatur ad vitam æternam: qui antea dicebatur filius perditionis, nunc jam filius regni est & dicitur. Mutatus namque est in virum alterum Saulus, qui postea dicitur Paulus. (Act. 9.) Nam postquam illum circumfudit lux de celo, mutatus est ex hoc mundo in mansuetissimum, & leone in agnum, & rebellem in obedientem, & vase abjectissimo, factus est vas electionis: à blasphemio denique translatus est in misericordiam præconem mirabilium & magnalium, quæ fecit Christus Jesus servator noster. Novum ergo hominem facit ille spiritus celestis. Propter quod, charitatis præceptum dicitur novum à Deo Salvatore nostro, qui apud Joannem (cap. 13.) ait: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Novum inquam est præceptum charitatis, quum charitas ipsa novos nos homines efficit, vetera autem instat ignis consumens, & ad novam & meliorem vitam nos transferens. Nam alioqui, quomodo novum dicendum erit mandatum, quod in lege veteri constat esse datum. Immo quod ipsa etiam lege veteri multo vetustius est, si mul cum ipsa incipiens natus: quoniam omnibus à natura institutum est, ut Deum & se invicem diligant. Omne enim animal (ut ait sapiens Ecclesiæ 3.) diligit sibi simile. Si ergo præceptum de dilectione tam vetustum est, ut ante ipsam legem veterem ortum fuerit, ideo dicendum erit novum, quia novos homines facit: ita, ut qui charitate imbuti sunt, novi homines facti sint. Hæc hominis innovatio cultibus est necessaria, si in illam sanctam civitatem Hierusalem cupit intrare. Nam cum in illa (ut testatur beatus****

Joannes in Apocalypsi cap. 21.) nova sint omnia, consequens est, ut nulla in illam vetustas possit intrare. Et ob hanc causam David renovari petit, dicens: *Et spiritum rectum innova in visceribus meis. Ob hanc etiam causam (ut æstimo) Paulus nos ad hanc renovationem hortatur, dicens: (Eph. 4.) *Renovamini spiritu sensus vestri, & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis. Ad spiritum renovationem hortatur, non etiam ad renovationem eorum, quæ à spiritu sunt aliena, ut sunt illa, quæ in solis exterioribus caeremoniis sita sunt. Novus enim habitus, nova tonsura, novum cingulum, nova calceamenta, parum ad pietatem faciunt, nisi his etiam novitas spiritus addatur. Hæc enim omnia ut non aspernanda sunt, ita etiam non usque adeo amanda, ut in his totam nostram spem collocemus. Pater enim celestis eos solos diligit, qui in spiritu & veritate eum adorant: (Joan. 4.) quoniam hæc talis adoratio in spiritu, est quæ hominem veterem deponens, novum hominem induere facit. Ideo ad solam spiritus renovationem hortatur Paulus, dicens: (Eph. 4.) *Renovamini spiritu sensus vestri. Quo autem pacto hæc renovatio facienda sit, Paulus aperte docuit, subjungens: *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate. Ille enim vere novum hominem induit, qui Christum imitatur, qui sic novus est homo, ut nihil sit in eo non novum. Conceptus novus, natus nova, infantia nova, doctrina nova, vita nova, mors nova, per quam spoliatus sunt principatus, & dejectæ contrariæ fortitudines. Nova denique in Christo sunt omnia: ita ut propter hoc ipsum, non immerito dictum sit de Christo apud Hieremiam. (cap. 31.) *Novum faciet Dominus super terram. Qui hunc novum hominem imitatur, & universas illius, quantum potest, in se exprimit virtutes: ut videlicet sit pius & misericors, ut ille fuit, sit amicus fidelis pro amicis suis animam suam ponens, ut Christus pro nobis inimicis suam posuit, sit mansuetus, qui injurias retaliare negligat, prout ille fecit, qui cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur, (1. Pet. 2.) hic talis vere indutus est novum hominem, videlicet Christum, qui secundum Deum creatus est. Qui enim vestem aliquam induit, non corporis suis membra, sed vestem, qua membra teguntur, ostendit, sic qui Christum in via imitatur, non suam, sed Christi vitam gerit, & ostendit, ut cum Paulo dicere possit. (Galat. 2.) *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus. Hic ergo, qui Christum imitatus, novum hominem Christum induit, hic est qui vere est spiritus renovatus. Renovamini ergo spiritu, ut nova sitis creatura, ut digni sitis, qui in illam sanctam civitatem supernam, videlicet Hierusalem, in qua nova sunt omnia, recipiamini. Qui surabatur, jam non furetur: (Eph. 4.) magis autem labore operando manibus suis quod bonum est, ut habeat communicare ei qui indiget. Qui fornicabatur, jam non fornicetur. Qui primas cathedras prius amabat, nunc jam in novissimo loco sedere contendat. Qui Deum blasphemare solebat, deinceps Deum laudare incipiat. Sed quia hæc omnia præstare ex nobis ipsis non sufficimus, nisi à Deo adjuvemur: ideo opus est ut Deum oremus, & cum Propheta David dicamus: *Spiritum rectum innova in visceribus meis. Da mihi spiritum rectum, non quæ huius mundi sunt, sed te solum amantem. Da spiritum rectum, qui recta via incedere doceat. Priorem spiritum, quem mihi dederas, peccata mea extinxerunt. Illum ergo spiritum renova, qui me castitatem, humilitatem, mansuetudinem, pietatem, doceat, ut per has virtutes tamquam per*******

viam

viam rectam valeam ad te pervenire. Qui cum patre & Spiritu Sancto vivis & regnas in secula seculorum. Amen.

HOMILIA XVII

Ne projecias me a facie tua, & Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me.

Tantus est thesaurus mysteriorum quae in sacra scriptura recondita sunt, ut saepe sub uno eodemque litterae cortice, propter varias rerum proprietates, lateant non solum variae, sed etiam contrariae diversorum mysteriorum significationes. Quo fit, ut sacrae scripturae, quae omnes uno animo, unoque spiritu, eoque sancto conditae sunt, parum intelligentibus sibi invicem contrariae, & tamquam ex diametro pugnantibus videantur: eo quod iuxta unam, quam norunt alicujus certae rei proprietatem, omnia quae per illam vocem talis rei significativam enuntiantur, intelligi volunt. Non enim attendunt, quod si eadem res varias diversaque continet proprietates: ita etiam varia diversaque significare potest. Leo enim propter voracitatem & crudelitatem, demonem significat qui (ut beatus Petrus ait 1. Pet. 5.) rugiens circum quaerens quem devoret. Sed praeter hanc crudelitatem, habet etiam leo fortitudinem talem, ut (iuxta Salomonis sententiam Prov. 30.) ad nullum paveat occursum, & propter hanc fortitudinem, Christus redemptor noster dicitur Leo: quoniam demonem fortissimum, beneque armis munitum sua morte devicit. Et propter eandem causam iustus, qui in Domino confidens ab illo terrore est, etiam dicitur Leo. (Prov. 28.) Caetera de genere hoc adeo sunt multa in sacris litteris, ut loquacissimum quemque delasari valeant. Extant enim de hac re ingentia volumina a variis scriptoribus edita. Quae omnia ideo praetermissimus, quia timeamus, ne forte aliquis miretur, & dicat. Quo pacto David, qui superius petivit a Deo, ut averteret faciem a peccatis suis, modo etiam petat, ut non etiam faciem ab ipso avertat? Fieri enim non potest, ut in ipsum David facies & oculus Deus intendat, quin peccata, quae in ipso David sunt, ob oculos Dei etiam observentur. Est etiam id fieri possit, si facies pro viduicta (ut supra jam docuimus) & ita sumitur, cur timeret faciem Dei super peccata sua, & non timeret, immo optat & petit faciem Dei super se ipsum? Praefertim cum ipse alibi dixerit (Psal. 32.) Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum? Si respectus divinae faciei super facientes mala huc tendit, ut eos perdat, quomodo David, qui se male egisse agnovit, faciem Dei non reformidat, sed magis se ab illa projiciatur orat, optans seipse perante conspectum Dei stare? Sed nos haec, quae quodammodo in speciem pugnant videntur, facile conciliamus, si advertimus, quod variae sunt Dei facies, quas nobis facit ostendit scriptura. Est enim facies iustitiae in Deo, est & facies misericordiae. Quia enim per faciem melius quisque cognoscitur, hinc est, ut illud mystice in sacris litteris facies eiusque dicatur, per quod melius in notitiam illius pervenitur. Hinc conscientia eiusque, facies dicitur: quia per illam ab omnipotente Deo cognoscimur, & iudicamur. Et haec est facies illa, quae in ieiunio nostro lavari a Deo praecipitur. (Matth. 6.) Deus autem & cognoscitur per iustitiam, & per misericordiam. Non enim minus manifestat nobis Deum, & bonitatem eius rectissima & distinctissima illius iustitia, quam benignissima

mae eius misericordia: quoniam non minus bonus est Deus cum punit, quam cum miseretur. Quo fit, ut iustitia Dei, facies Dei dicatur, & misericordia eius eodem nomine appellatur: quoniam per utramque (ut diximus) Deus agnoscitur potest. De facie iustitiae dicit Job: A facie ipsius turbatus sum, & considerans cum timore sollicitor. A facie Domini turbatur, qui bene cognoscit quanto rigore iudicii peccatores quosque Dominus in iudicio punit. Qui coram oculis suis terrorem divinae Majestatis proponit, ut rectitudinem iudicii illius cognoscat, & se ita iudicem esse tam sapientem, ut eum nil lateat, tam potentem, ut nullus suae possit resistere voluntati, tam rectum, ut nec praecipuus flecti possit, nec muneribus placari: qui haec omnia conspicit in Deo, & se ad reddendam rationem non sentit idoneum, merito a facie ipsius turbatur. Propter quod subdit: Et Considerans, timore sollicitor. Timore enim concutitur, qui recte supremi iudicii rigorem considerat. Qui vero longe ab hac consideratione abest, securam vitam ducit, eo quod venturum iudicem minime reformidat, & inde evenit, ut in alia vita eo districtius iudicetur, quo magis hic securus vivit. Iustus autem, ut aliquando postea plene securi esse possint, in hac vita perpetua cura, & timore horribili incessanter sollicitantur. Ut autem hoc melius faciat, semper faciem Dei iudicantis, & tremendam illius maiestatem ob oculos suos ponunt. Merito quidem a facie Dei iudicantis turbantur: quia (ut est apud Danielem cap. 7.) de facie Dei furvus igneus rapidusque egrediebatur. Nam post descriptionem illarum quatuor bestiarum, quae quatuor regna designant, subiungit: Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dixerat sedit. Vestimentum eius candidum quasi nix, capilli capitis eius quasi lana mundae, thronus eius flammae ignis. Rotae eius ignis accensus, fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie eius. Fluvius, dicitur eius districta iustitia: quia nunquam ille iustitiam facere desinit, sed ad modum fluvii semper fluit. Rapidus dicitur, propter celeritatem suae sententiae executionem: quoniam simul ut ipse dixerit, facta erunt omnia. Hanc faciem timebat, & ideo locum ubi ab illa se abscondi posset, quaerebat Job, cap. 13. dicens. Ubi me abscondam, ut evita irae tuae. Abscondit a facie Dei nunc quaerit, qui alias quaeritur, cur Deus faciem suam illi quasi inimico absconderet. Hanc iustitiae faciem timebat David, cum dicebat: Averte faciem tuam a peccatis meis. Notebat siquidem in futuro argui, tunc in ira a Deo corripi. Alia est Dei facies, videlicet misericordia. Haec est illa Absconderit facies, de qua dicit Hostes regina. (Hest. 15.) Valde enim mirabilis est Domine, & facies tua plena est gratiarum. Plena siquidem gratiarum est divina misericordia, de cuius plenitudine nos omnes recipimus gratiam. Et propter hanc causam, facies illius in Apocalypsi (cap. 1.) dicitur esse sicut sol. Sol enim omnibus luceat, & super omnem tunc visibilem mundum expandit radios suos. Deus etiam omnium miseretur, & super bonos & malos effundit misericordiam. Eisdem radiis sol emollit ceram, & indurat lutum, sic Deus eisdem beneficiis quorundam corda emollit, & multorum corda indurat. Nam aliqui sunt, qui Dei benignitate & misericordia agnita, ad illius amorem allicuntur. Alii vero contra, ex ipsa Dei pietate efficiuntur deterioriores: quoniam de divina misericordia plus iusto confidentes, emendationem suae vitae contemnunt, & trahunt iniquitatem suam in funiculis vanitatis, & (ut Blasius ait cap. 5.) quasi vinculum placenti peccatum. Nos enim (ut in alio sermone supra jam me declarasse memini) divina misericordia per occasionem, quamvis non oblata, in avaritiam

dicitur. Haec est illa facies Salomonis: (2. Paral. 17.) quam omnis populus videre desiderat: quoniam nemo est qui non divinam imploret misericordiam. Nam (ut in Psal. 103.) David ait: Avertente Deo faciem suam, omnia turbabuntur. Si enim Deus ab operibus suis misericordiam quam super omnia illa effudit condens illa, subtrahere voluerit, omnia turbabuntur: quia in nihilum redigentur. Et hoc David tamquam expertus loquitur, qui in alio Psalmo ita inquit: Avertisti faciem tuam a me. Et factus sum conturbatus. Ab hac facie scilicet timet David, ideo orat: Ne projecias me a facie tua. Ecce qui nunc timet a facie Dei proijci, ipsemet alias nimium anxius, quaerit locum, quo a facie Dei fugiat, dicens: (Psal. 138.) Quo ibo a spiritu tuo, & quid a facie tua fugiam? Et quoniam duorum locorum collatione aperitissime colligitur, duas esse Dei facies, unam, quam David videre optat & in illius conspectu semper stare, & est misericordia. Alteram, ejus conspectum refugit, & ab ea se abscondi satagit, & haec est illius districta iustitia. Nec mirari quicquam debeat aut vitium putare, quod Deus facies diversas habeat: quia de singulis quoque sanctorum quatuor animalium personarum, quae Propheta Ezechiel describit, dicitur, quod quatuor facies habeat, quas nos proximo superiori sermone exposuisse meminimus. Et de duobus Cherubim, quae erant in domo Dei, idem Propheta testatur: (Eze. 41.) eorum quodlibet duas facies habere, hominis videlicet & leonis. Non quod sine animo duplices, sed quia varias eorum quodlibet habet virtutes. Ad hunc modum Deus duas habere facies dicitur: quia duabus est insignitus virtutibus, per quas cognosci ab omnibus possit: iustitia videlicet, & misericordia. Nec ambas simul eidem ostendit: quoniam alternis eas manifestat, & abscondit, & hoc pro varietate cuiusque hominis vitae. Si unam ostendit, aliam subtrahit. Ostendit autem hanc aut illam, iuxta unicuique jusque meritum. Non enim semper eundem omnibus ostendit vultum. Nam malis se ostendit iratum, iustis autem benignum & mansuetum. Peccatoribus se ostendit ferocem ut leonem, iustis mitem ut agnum. Variatur vultus illius (si variatio aut mutatio dicens est) ad variationem meritorum nostrorum. Quemadmodum enim speculum sine sui variatione talem reddit faciem, qualis est, ea, quae sibi obijcitur, si tristis obijcitur facies, tristem etiam ostendit, si hilaris, hilarem. Sic Deus, qui (iuxta sapientem cap. 7.) candor est lucis aeternae, & speculum sine macula, talem se nobis ostendit, quales nos illi presentamur. Si degeneres sumus, non vultum patris, sed iudicis ostendit. Si vero filii nominamur, & sumus, vultum iudicis avertit, & pietissimi patris vultum nobis offert. In cuius figura legimus in Ezechiele Propheta: (cap. 1.) quod super capita sanctorum quatuor animalium pennarum erat aspectus crystalli horribilis. Per illa sancta quatuor animalia designantur quatuor Evangelistae, aut iustos quosque, iam superius docuimus. Crystallus autem nostri Redemptoris est figura: quoniam crystallus (ut ait Sapiens) est aqua congelata fit. Cum enim aqua mollis & fluxa sit, exgelata solidatur, & crystallus fit. Christus Redemptor noster ante mortem suam corpus habens mortale & passibile, quasi quaedam aqua fuit: quae per multas tribulationes & corporis erumnas desuens, ad mare amarissimum, mortem videlicet suam pervenit. Sed tamen resurgens a mortuis: quoniam jam non moritur, nec mors illi ultra dominabitur, virtute resurrectionis induruit, & factus est crystallus, quando corruptio ejus est in incorruptionem commutata. Hic crystallus super capita animalium

resedete: quia Christus virtute mentiorum, & gratia sanctificatione iustissimos quosque homines superat. Sic crystallus iste horribilis dicitur: quod quidem iuxta naturam vix fieri est possibile, immo nec intelligibile. Nam cum crystallus sit pulcherrimus, fieri sequitur, ut sit etiam horribilis: quoniam non bene conveniunt, neque in una sede morantur pulchritudo & horror. Pulchritudo, omnium oculos ad se converterit, horrit autem, intractabilem vitios avertit. Qui si ergo, ut quicquam sit pulchritudinis simul & horribilitatis? Sed haec, quae nunc proxime diximus, ad memoriam revocamus, facile crystallum inventissimus, qui simul & pulchritudinem & horrorem habeat. Nam Christus servator hostis enim iudex in fine saeculi venerit, alium alius ostendit vultum, iustis quidem benignum, peccatoribus iratum. Iustus erit ut agnus, peccatoribus autem ut leo. Iustus apparebit pulcherrimus, peccatoribus autem horribilissimus. Idem qui crystallus speciosus videbitur iustus, idem terribilis ostendetur peccatoribus. Ecce ergo Dei facies duas: misericordiam videlicet et iustitiam. Ab illa iustitia, alteram quaerit: Ad unam venire timet, a altera scilicet formidat. Ad rigorem iustitiae accedere nollet, ideo perit, Averte faciem tuam a peccatis meis. Misericordiam sibi de negari timet, ideo orat: Ne projecias me a facie tua. A facie sua Deus illum projicit, cum misericordiam suam denegar. Domini enim servus, a quibus offensus sunt, solent a suo conspectu abijcere, nec permittrunt ante oculos suos apparere. Quod si forte ante illos desperato transire contingat, avertere oculos solent: ut iam, quam adversus illos conceperunt, ostendant. Et si quando illi pro gratia aliqua impetranda flexis genibus supplicaverint, in diversam partem faciem suam hauriunt, ut hoc signo induant se postulantis minime acquiescere: quoniam animorum ipsorum motus, in ipso corporis habitu ostendant. Ad hunc etiam modum Deus peccatoribus, quibus irascitur, faciem suam avertit, cum illis gratiam aliquam quam postulant, concedere renuit. Hinc est, quod muneribus Abel placatur Deus, non autem Cain: quia cum hic peccator maleque offerens fuerit, ille vero iustus, qui ex melioribus frugibus & optimo corde offererat, hunc & munera eius respicere designatus est Deus. In illum autem & munera ejus faciem & oculos iniecit. Ipso ergo solo vultu alterum innuit esse peccatorem, alterum innocentem. Cum ergo David ait, Ne projecias me a facie tua, idem est ac si diceret. Non te mihi iratum ostendas, ne deneges mihi quod postulo; Non avertas faciem tuam a me, quoniam se eam avertaris, similis ero descendentibus in lacum. Nisi enim tu misericorditer respexeris, in desperationis fossam subit cadam. Si tu faciem tuam avertis a me, necesse mihi erit in tenebris manere: quoniam a facie tua tamquam a vero sole totum animae meae lumen oritur. Noli ergo faciem tuam a me avertere, sed potius illumina faciem tuam super servum tuum: quoniam sicut qui a te despectus fuerit, necessario peribit: ita & in quem aspexeris, petere non potest. Ne ergo peream, non me a facie tua projicere. Projicit illum Deus, cui portas misericordiae se claudit, ut nunquam ultra aperiri debeat, a quo peccante, spes veniae subtrahitur. Nulli autem ipem veniae denegat nisi obstinatus, & sic in peccatis induratus, ut emendari contemnat, aut illique de misericordia & bonitate Dei diffidat. Qui enim male actorum non penitet, nec in melius vitam commutat, dignus non est, qui veniam consequatur. Propter quod Job ait: (cap. 24.) Usque ad inferos peccatum illius, obijcatur ejus misericordia. Usque ad inferos peccatum deducit, qui usque ad ultimum vitae haurum in peccato

perleverat, nunquam illius poenitens. Hic enim usque ad inferos peccatum deducit; quia in inferno etiam exitens, in illa eadem mala voluntate persistit, ut quae movens, vitam finivit. Sed huiusmodi hominis, Dei misericordia obliviscitur, quoniam iustum est, ut Dei misericordia obliviscatur illius, qui dum hic inter vivos agebat, Dei iustitiae oblitus est. Hic talis a facie Dei projectus est; quoniam spes veniae iam ab eo sublata est, oblatione illius iam exigente. Precipit etiam a facie Dei, qui de illius misericordia distat. Cain enim, quia Dei benignissimam & largissimam misericordiam non agnovit, dixit: *(Gen. 4.)* *Maior est iniquitas mea, quam ut veniam merear.* Et quia de Dei misericordia distat, veniam peccati non sperans, ideo haec ipsa venia denegata est, propter quod, postmodum ait: *(Ibidem.)* *Ecce cecidit me a facie tua.* Iustum est ut qui regis faciem non reveretur, faciem illius non videat. Iustum est, ut qui Deum non credit misericordem, misericordiam illius non speret. Conferantur rationi est, ut qui veniam non sperat, eam non assequatur. Non enim fieri potest ut veniam impetret, qui manet in peccato, & venerit ad Deum. Manet autem in peccato, & tali quod vere est in Spiritum Sanctum, qui de venia desperat: quo fit, ut iuxta sententiam Salvatoris, nunquam remittatur. Nam quia remissio peccatorum opus est Spiritus Sancti, veredicitur peccare in Spiritum Sanctum, qui credit Deum non posse, aut non velle remittere peccata. Huius ergo peccatum quia in Spiritum Sanctum est, nunquam remittitur. Et sic peccans a facie Dei projectus esse dicitur: quia illi misericordia denegatur, eo quod ille, misericordiam Dei non agnovit. David ergo quia in Dei misericordia confidit, petit ne spe sua frustretur, dicens: *Ne projecas me a facie tua, & Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me.* Ac si diceret: *Ne deneges mihi misericordiam tuam;* quoniam ego misericordiam tuam agnosco, eamque magnis precationibus effero. Non deneges mihi peccati veniam, quoniam ego te posse peccata remittere credo, & in tua misericordia confido. Non auferas ergo a me Spiritum Sanctum: quoniam ego in Spiritum Sanctum non peccavi; ego enim non sum ut Cain: quoniam ille majorem putavit iniquitatem suam, quam tuam misericordiam. Ego autem, & si magnam esse agnoscam peccatum meum, tamen multo majorem scio esse tuam misericordiam. Peccata mea multa esse scio, quae tamen numerari possint, at misericordiarum tuarum scio nullam esse numerum. Cum ergo in te confidam, misericordiam tuam agnoscam, nunquam de venia desperem, ne quareo eam mihi deneges, sed potius gratiam infundis, qua vitam aeternam consequi valeam per merita Jesu Christi filii tui. Qui tecum & cum Spiritu Sancto vivit & regnat in saecula saeculorum. Amen.

HOMI LIA XVIIII.

Redde mihi laetitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me.

David peccatum suum agnoscens, tam multas pro eo lachrymas fudit, tamque perpetes, ut nec comedens, nec bibens, nec cubans, neque stans, neque aliud aliquid agens, a seculo unquam cessaverit. Cum enim edebat, cinerem tanquam panem manducabat. *(Psal. 110.)* Cum biberat, poculum suum cum fletu miscebat. *(Psal. 6.)* Cum ibat cubitum, lavabat per singulas noctes. Iectum suum & lachrymis suis stratum suum rigabat. *(Psal. 37.)* Denique ipsemet ait, quod dolor suus in conspectu

suo fuerit semper. Ne ego per peius merore confectus desistere contingat, laetitiam consolationem petit, dicens: *Redde mihi laetitiam salutaris tui.* Non venenatas laetitias petit, quales ante habuit, eam de male gestis labatur, & exultabat in rebus pessimis. Non vana gaudia querit, quae de mundi vanitate habentur, quia horum extrema semper ludus occupat, nec solum extrema, sed media etiam quoniam risu dolore tristissime miscetur. Gaudium, quod nec mori possit tollere ab illo, nisi Deus, qui solus potest dare, hoc ipsum solum petit David, ideo ait: *Redde mihi laetitiam salutaris tui.* Non qualemcumque petit laetitiam, sed eam solum, quam efficit salutare Dei. Sic enim accipiens est genitivus ille salutaris, ut videlicet non possessionem, sed efficiendum denoret. Ita, ut sit sensus: *Redde mihi laetitiam, quam salutare tuum efficit: fac me participem illius laetitiae, quae per salutem tuam omnis iustus habebit.* Salutare Dei est Christus, qui salutem humani generis in medio terrae operatus est. Hoc salutare sibi & toti generi humano dari in *(Psal. 84.)* petebat, dicens: *Quid nobis Domine misericordiam tuam, & salutem tuam da nobis.* Sciebat Deum in carne venturum, per cuius manus, salus habenda esset: ideo petit, ut Deus in hoc suam circa nos misericordiam ostendat: quod Christum filium suum ad nos, salutem omnium salutem nobis daretur. Non solum ostendere, prout Judaeis, qui eum crucifixerunt, ostensus est, non etiam datus, quoniam illius in se salutem expectari non sinit. Hoc salutare omnes nos laetos efficit, vitam nobis restituens, quam nos per peccatum amiseramus. Peccante enim Adam, non solum corporis, verum etiam animae vitam amisit. In ea enim hora, quae de cibo vitio gustavit, animae vitam perdidit, & ad corporis mortem est damnatus. Ex hac autem duplici morte maxima nobis oborta est tristitia causa. Quis enim nisi demens ille videtur, non dolet, non vehementer tristet, quod magnum aliquid bonum se omisisse cognoverit? Cum autem vita magnum bonum sit, fieri nequit, ut qui ad mortem damnatus est, non tristetur. Nam ob solam hanc causam qui de morti propinquum putat, tristatur: quia bonum, quod ardenter amat, civissime se amisurum putat. Hanc ergo etiam precipuam causam crediderim, quod omnes nos fletus, cum ex utero matris emergimus, videlicet, quia insigante natura sentit quisque, quanta sint bona quae amittit, & quanta sunt mala quae imminet. Duplici ergo ex causa omnes tristamur, de vita scilicet animae, & de vita corporis, quas per peccatum amissimus. Sed pro hoc duplici merore, Christus servator noster duplicem, nobis reddidit laetitiam, bona quae amissimus restituens, vitam scilicet animae & corporis. Vitam animae restituit moriens, corporis vitam, a mortuis reurgens. In prima liberamur a culpa, per secundam evimur a poena. Et per hoc, duplicem consequimur sumas laetitiam. Una est, quod a peccato liberamur, altera est, quod ad corporis immortalitatem aliquando perventuros nos speramus. Hanc laetitiam Deus pater per filium suum se nobis daturum promisit, quemadmodum Propheta *(Psal. 11.)* testatur, dicens: *Propter misericordiam inopum, & genitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus. Ponam in salutari fiducia iter agam in eo.* Verba haec patris caelestis sunt, qui auditis genitibus humani generis, quod in peccatis jacens gemitat, se daturum consolationem decernit, ideo ait: *Nunc exurgam.* Ac si diceret: Ego adjuvabo, succurram, consolabor eos. Qualiter autem sit consolaturus, expressit, subiungens: *Ponam in salutari.* Verum quid ponet, non expressit, sed subintelligitur, ut illis quia praecesserunt. Contra gemitum ponet laetitiam,

contra paupertates, divitias spirituales. Quid posset salutare Dei ponere, nisi salutem? Prima ergo laetitiam est de liberatione a peccato, Et haec maxima. Nam qui in aliquo durissimo & fortissimo carcere captivus tenebatur, ab aliquo crudelissimo hoste, si postea carcere detracto, vinculis diruptis, hoste in vivo immo etiam devotio, liber fuerit ipse eductus, miram in modum exultat. Omnes homines quamdiu sub peccato vivebant, & captivi tenebantur a demone carcere terribissimo, & tenebroso inclusi. Nam beatus Paulus in posteriore epistola ad Timotheum *(cap. 2.)* de diabolo loquens, ait: *A quo captivi tenentur.* (haud dubio peccatores) *ad ipsius voluntatem.* Sic captivi tenebantur, ut eis pro libito daemones datur. Carcere obscurissimo sunt inclusi, quia densissimis ignorantiae tenebris laborant, tam miseram sustinent servitutem, quam populus Israel in Aegypto passus est. Serviebat populus in palea, & laetere, & servientis panis non dabatur. Omne masculinum interfici iubebatur. Et (quod his omnibus acerbus est) Deum suum colere, populus non sinebatur. Haec omnia generi humano sub peccato existente contingere, serviebat siquidem in palea vanae superbiae, in luto & coeno luxuriae, & in latere dure & tenacis avaritiae. Omne masculinum interficitur: quia si quod propositum bonum & vile inlargit, statim daemones occidere tentat, muliebre autem & fragile, hoc nutrit, & fovet. Deum colere non sinit: quia holocaustum Deo acceptum non offert, diabolo dignus. Sed in hac servitute manens, se captivus tenebatur, ut nisi sanguine Christi ab eo eripi non posset. Quemadmodum enim in quibusdam animalibus contingit, quae sic stringunt aliquid intra se inclusam, ut nisi fractum fuerit, a se non dividatur, nec dimittunt illud quod intrinsecus clausum tenent. Si autem missum fuerit oleum statim effluit. Hoc enim in polypro me expertum aliquando fuisse memini. Sic enim petrae alicui haeret, & rem quam capit intra foriter stringit, ut etiam si in partes scindatur, nunquam tamen ab eo quod femul comprehendit, divellatur. Ad hunc modum, diabolus humanum genus tenebat, nec volebat dimittere. Tanta enim aviditate illud possidebat, ut potius se scindi permitteret, quam genus humanum, quod captivum tenebat, liberum abire sineret. Sed Dominus Jesus Christus piensissimus servator noster sanguinem suum quasi oleum misericordiae fudit, & per ipsum nos liberavit. Sic ergo liberati, omnes laetos nos esse oportet, & tanto magis exultare, quanto magis acerbo & duro carcere tenebamur inclusi, & quanto a magis crudeli hoste tenebamur captivi. Sic etiam Pharaone mortuo cum toto exercitu suo populus Israel videns se liberatum a tyrannide Pharaonis & servitute Aegyptiaca, magna cum laetitia cantare cepit, & dicere: *(Exod. 15.)* *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est.* Et Maria prophetissa soror Aaron sumpsit tympanum in manu sua, & egressaeque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis & choris, quibus praecedebat, dicens: *Cantemus Domino, gloriose enim, &c.* Propter quod David *(Psal. 99.)* ad hanc laetitiam invitat, dicens: *Dominus regnavit, exultavit terra, laetentur insulae multae.* Univera terra, & omnis orbis, qui subiectus antea erat sub dominio diaboli, nunc devotio demone, & nobis ab ejus tyrannide liberatis, Deo subicitur creatori, ut jam demone ejecto, solus Deus in homine regnet. Et ob hanc causam terra ad exultationem, & insulae ad laetitiam invitantur. Terra nomine continentem denotatur, propterea quod intra insulas eam distinguit. Insulae, omnes nos quamdiu hic sumus, dici possumus: quoniam insulae in medio mari positae sunt, &

nos in hoc mundo, tamquam in medio mari constituti, variis cogitationibus, variisque affectibus, quasi variis hinc inde tundimur fluctibus, & ob hoc, periculo subiacemus, ne forte mare, nos aliquando subruat, & forbeat. Terra continens, quae longe ab hoc periculo abest, & gloria caelestis, quae extra omnem aliam jam constituta est. Quod si hoc non placet, dicamus nomine terrae, totam hanc Ecclesiam militantem significare, quae tota vivit, & absque ulla formidine securae, quoniam & si percussurum quantum frangitur, si tunditur fluctibus, nunquam subruitur. Nam & si particulare aliquod ejus membrum aliquando pereat, ipsa tamen tota nunquam peribit. Exultet ergo terra, laetentur insulae multae. Ac si expressius diceret: Ecclesia tota exultet, & multae animae laetentur, eo quod devotio demonei, ab ejus tyrannide liberatae. Deo regnanti subijciuntur. Tota Ecclesia de Christi resurrectione laetari admonetur, & merito quoniam per Christi mortem & resurrectionem ipsa Ecclesia sic mundata est, ut multo clarior & palchrior fieret, & coram Deo appareret. Verum hoc admonere oportet, quod ait, insulae multae, & non dixit, insulae omnes, quia non omnes de incarnatione, & beneficio passionis Christi laetabantur. Qui bene vixerit, & Dei praecipis obedierit, incarnationem Dei, & ejusque passionem sentiet in solatium, & in remedium. Si vero quis male vixerit, & Dei praecipia contempserit, de Christi passionis beneficio laetari minime poterit, sed maxima tristitia absorbebitur: quoniam tantum sibi oblatum beneficium contempsit, & illo ad suum profectum uti nescivit. Eadem ergo Christi incarnatio, atque ejus victoria, quam per suam passionem acquisivit, sicut vitas materiam laetitiae praebent, ita peccatores damnatos maximo merore conficiunt. Multas ergo insulas ad laetitiam invitat, non omnes, quia non omnes obedierunt Evangelio, non omnes credunt Deum incarnatum, non omnes credunt eum passum fuisse, nec passionem suam daemone vicisse. Quo fit, ut qui victoriam non agnoscent, de ejus victoria laetari non possint, qui eum regnantem non credunt, de ejus regno non exultent, qui se a diaboli tyrannide per Christum liberatos non agnoscent, de hac liberatione non gaudeant. David autem, qui agnoscebat Christi incarnationem, atque ejus passionem, & per illam de demone habitum triumphum, desiderat se hujus laetitiae participem esse, velletque inter multas illas insulas connumerari, quae de Christi victoria laetantur, ideo ait: *Redde mihi laetitiam salutaris tui.* Ac si diceret: *Fac me de remissione peccatorum certum: quoniam hoc ipso audio, maxima laetitia perfundat, fac ut sicut de peccato doleo, ita de remissione gaudeam.* Acerba dolore premor, quia te offendi; fac ut nimio gaudio exultem, quia mihi condonasti peccatum. Sicut enim vehementens est dolor in corde poenitentis: ita maxima est laetitia cordis in eo, cui peccatum jam est remissum. Non dubito quin Magdalenae lachrymae, quibus pedes Christi rigabat, versa fuerint in laetitiam ad vocem Christi dicens: *(Luc. 7.)* *Remittuntur tibi peccata tua.* Erantque tunc simul ignis & grando, laetitia & tristitia in eadem sede morabantur. Dolebat se peccasse, sed poenituisse gaudebat. De peccato tristabatur, de remissione peccati laetabatur. Contendunt itaque inter se laetitia & tristitia, & si te iudice bellum ageretur, nescires quem cui praeferes: Laetitia tamen hoc habet victoriae signum, quod tristitiam arenae cedere cogit se videtur. Nam tristitia intra cordis tabernaculum se continere non valens, per oculos quasi per portas exire conpellitur. Laetitia vero, quia totam occupaverat domum in corde velut victrix se continet, nullam sui partem foras